



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputatio De Statv In Qvo Sint Beatorvm Animae Post
Hanc uitam, ante ultimi iudicij diem**

Dévay Biró, Mátyás

[Nürnberg], [1537]

VD16 D 1300

Condem. Censvrae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34195

Gratia donum Dei est, non debita merces operibus. Augu^{gustinus}
stinus Ioan. 1. Gratiam primo accepimus fidem, uocatur
autem gratia, quia gratis datur. Pro hac gratia in qua ex fi-
de uiuimus, recepturi sumus aliam, id est, uitam æternam,
uita enim æterna quasi merces est fidei. Prophetia, genera
linguarum, miracula, dona quidem sunt gratis data, sed Deo
gratos non reddunt sine fide, Matt. 7. Lyranus super Acta
cap. 10. Hæc dixi quo Fratris, præcise, irritum sit. Illud uero
Pauli: Gratia estis saluati per fidem, mirifica subtilitate ex-
pediuit.

PROPOSITIO XL.

Confessio auricularis non est ex scripturis.

CENSURA.

Confessio auricularis est ex præcepto ecclesiæ, Laterani
legitime congregati, sic loquitur Frater.

CONDEM. CENSURAE.

Mihi satis erat, Fratrem non potuisse probare hanc eo-
rum confessionem non esse ex scripturis, sed magnas
mouet tragœdias Frater, ne prædam amittat. Scimus quan-
tum mare malorum inuenerit hæc diabolica confessio, de
uera nihil loquor. Non ab re Nectarius abrogat hanc se-
cretariam confessionem. Et nunc quoque scimus, quod non re-
ferant Hypolitum nostri confessores, sed prudens mysteria
huius confessionis auricularis prætereo. Patres olim elige-
bant probatæ fidei ac doctrinæ homines, quos Diaconos
uocabant, hos uel doctrinæ, uel consilij, uel consolationis ac-
cipiendæ gratia, licebat adire, sine scrupulosa peccatorum

Confessio

Nectarius

enumeratione, qui consultissimi consulere, docti docere, spirituales consolari poterant. Nostri hoc nō secus referunt, quam sorba ficum, quid mihi cum Concilio Lateranensi, & Decreti glossa, ex traditione uniuersalis alicuius Concilij fatetur esse. Ceterum de duplici confessione fidei & charitatis breuiter superius memini.

PROPOSITIO XLI. XLII.
XLIII. XLIIII.

Matth. 6.

IN oratione sola necessitas est proponenda. In oratione uerba non intellecta garrere Ethnicum est, Matthæi 6. Oratio uocalis breuis esse debet, sed ex fide. Semper orat qui semper fidei Deo.

CENSURAE.

1. Thessal. 5.

IN oratione modum, locum, tempus statuere conueniens est. Sufficit finem considerare orationis, si ipsa non intel ligatur. Sine intermissione orate, 1. Thessal. 5. Qui semper fidei, non semper dicit: Pater noster &c.

CONDEMN. CENSURARVM.

Oratio duplex

1. Cor. 14.

CHristus dicit: Quicquid orantes petitis, credite, & acci pietis, & Frater negat orationem esse petitionem. Du plex est oratio publica, priuata. Et uel Iudith poterat doce re in oratione solam necessitatem proponendam esse, euen tum uoluntati ac misericordiae Dei committendum. Orati onis non intellectae finem considerare an sufficiat, docet Paulus, 1. Cor. 14. Orabo spiritu, orabo & mente. Sine inter missione orant sancti, sed in spiritu non semper uocaliter. Ephe